

1

2

29

30

31

32

33

7

DE
M V R C I S
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS 124
AVCTORITATE
P R A E S I D E
IOSIA LVDOVICO ERNESTO
P VTTMANNO

I. V. D. TIT. DE V. S. ET R. I. PROFESSOR. ORDINAR
NEC NON COLLEG. ICTOR. ASSESSORE

A. D. XXVIII. APRILIS MDCCCLXXIX

H. L. Q. C

D I S P V T A B I T

IOANNES AVGUSTVS MÜLLERVS
MEYENA - MERSEBURGENS

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIA

DE

M A R C I S

HISTORIÆ ORDINIS

STATUTA

SENECA Controv. I. 7.

ОТ Cetera membra mea sunt; manus publicae sunt.

PATRIMONII

ИМУЩЕСТВА ПРОЧЕГО ГРОДИНА
НЕСКОЛЬКИХ ДОМОВ АЗЕРБАЙДЖАН

А. О. АЗЕРБАЙДЖАНСКАЯ МОСКОВСКАЯ

8. 6. 9.

DIGESTA TATIBIT

JOVANNIS AVAGASTAS MULIERAS

МУЖЕЙ И ЖЕНЩИН

ALPHONSE

EX ORIGINALIA FAMOSISSIMARUM

MVPERILLVSTRIA

AC

GENEROSSISSIMO DOMINO

DOMINO
PETRO

S. R. I.

L. B. AB HOHENTHAL

SERENISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS SAXONIAE

IN SVPREMO SENATV SACRO

ET CONSISTORIO ECCLESIASTICO

NEC NON IN COLLEGIO

PENES QVOD CVRA RERV M OeconomicarvM

ET AD COMMERCIA PERTINENTIVM EST

PRAESIDI VICA RIO

ORDINIS IMPERIALIS RVSSICI

S. ALEXANDRI EQVITI

DYNASTAE IN DOEBERNITZ, COSSA ET FALKENBERG

REL

MAECENATI INDVLGENTISSIMO

LIBELLVM HVNC ACADEMICVM
SVMMAE PIETATIS
ANIMIQVE
PRO TOT ACTANTIS
PER LIBERALITER IN SE COLLATIS BENEFICIIS
OBSTRICTISSIMI AC DEDITISSIMI
N V N C I V M
C V M
OMNIGENAE PERPETVAE Q V E
FELICITATIS
VOTO
EX ANTIQVO RITV
VENERABVNDVS
D. D. D
TANTO NOMINI

ADDICTISSIMVS CLIENS
IO. AVG. MÜLLERVS
MEYENA - MERSEBURGENS

DISSERTATIO

DE

M V R C I S

Cum omnibus fere in rebus diuersa hominum studia, diuersas videre licet sententias, tum praeципue in vita militari vel adpetenda vel fugienda tam diuerse sentiunt homines, vt in hoc maxime data veluti opera dissidere velle videantur. Sunt enim multi, quos vnice

— castra iuuent, et lituo tubae
Permiflus sonitus, bellaque matribus
Deteflata.

Sunt, quibus vnice dulce videatur atque decorum pro patria mori, oppido persuasis, omnibus, qui patriam conseruarint, adiuuerint, auferint, vt circ. in *Somn. Scip. cap. 3.* ait, certum esse in coelo definitum locum, vbi beati aevo sempiterno fruantur, quique adeo, haud secus ac olim Epaminondas, orbis terrarum diuitias accipere nolint prae patriae caritate. Sed nec desunt, qui aut trepidi, aut desides, patriaeque salutis ignavum praepontentes otium, arma ceteraque Martis instrumenta toto animo detestantur, et quidquid veteres de morte, CODRI, PRVTI, DECIVRVMQVE exemplo,^{a)} pro patria vltra etiam ac sponte oppetenda tam belle disputarunt, (pudet fere dicere) suavia inter somnia referre haud dubitent. *Mori pro patria*, inquit i. p. CLERICVS in *Art. Crit. p. 428.* pulcrum erat, quia ea voce intelligebant nescio quid, quod sanctum habere et reueneri decebat. Sed re ipsa quid erat patria Atheniensis e. g. aut Romano? Si solum intelligas, Italia et Attica, pro quibus cur pulcrum sit mori, nulla ratio est, potius quam

A 2

pro

a) CODRI praeter alios meminit HORAT. Carm. III. 19.
Quantum dister ab Inacho

Codrus, pro patria non timidus mori.

De DECIVRVM pro patria devotione vid. HENNINIVS ad IVVENAL.
VIII. 254. ibique citat.

pro Africa aut pro Asia. Non magis enim ad te pertinet gleba, in qua natus sis, quam alia quaevis, in qua commode vitam degere queas, fulsumque adeo est mori pro agello in occasum aut in septentriones spectante, potius quam viuas in alio, qui magis ad orientem solem aut ad meridiem verget. Si homines malis, quae fuerunt res publicae Atheniensis et Romanae praeter societas latronum, si eas probe intropiciamus? Itaque qui pro iis moriebatur, latro erat, qui pro latronum globo vilem animam profundebat.^{b)} Papae! Quasi sicilicet in dubium vocare quisquam iure possit, quod CICERO scribit de Off. I. 17. Cari sunt parentes, cari liberi, propinquai, familiares: sed omnes omnium caritates patria una complexa est: pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, si ei sit profuturus?^{c)} quodque multis post VLLIVM seculis repetierunt Angli apud CAMDENVM Annal. p. 476. Nulla cognatio propior, quam patria; illa est nobis alter deus, et primus maximusque parent. Enimvero, cum haud tam feliciter cum hominibus agatur, ut, non dicam omnibus, sed plerisque saltem id, quod optimum est, placeat, haud profecto mirum, multos omni studio militiam subterfugere, sibique dedecori haud ducere, vel desperatisimis viti mediis, modo delectui se subtrahant.^{d)} Nescio, an illum sit turpius illorum facinore, qui,

v

b) Melius quondam sapuit. M. ANTONINVS Imp. r̄m de lauro Lib. VI. p. 125. edit. Woll. Πόλει τοι πατρίς, οὐ μὲν Ἀρτούρῳ μοι νέρων, οὐ δὲ ἀνδρών τῷ ὁ κόσμος. Cittas et patria, qua Antoninus, Roma, qua homo, mundus. Laudabile semper putarunt Romani, pro patriae salute, in qua suam simul inclusam esse existimabant, corpus periculo obirent, immo animam profundere, hofftemque patriae ducere suum. Elegans carmen sur l'amour de la patrie legere est dans les œuvres de Mons. Gresset, Tom. I. p. 213.

c) Bene FR. GV. PESTEL in fundam. iurispr. natural. p. 92. Mors non abrumpit filium felicitatis humanae, sed nonam eius periodum aperit. Anima corpori superstes non dolbit aliquor verarum voluptuarum, quas ex diucrio coniunctione cum corpore suo capere poruerat, priuatione, sed gaudebit, cum fibi erit conficia, se multorum hominum, multarum propaginum salutem celeriori prioris vitae sua decurfu redmissa et exemplo diu profidet. Vnius tropaea sexcentos alios ad bene merendum de societate et ad quodquis pro ea discrimen aedendum excitant. Haec spes, haec quasi anticipatio gaudii futuri, quam imago actionis multis diu utilis parit, inflammare potest nobiles animos, ut Codrum, Leonidam, et illustres herocis aetaribus viros imitari contemnent mortem, quae societati prodefit.

d) VLYSSEM simulatione infaniae militiam subterfugere voluisse, non nulli

ut inhabiles militiae sint, corpus suum mutilant, sibique aut dígitos, aut manum, aliud corporis membrum absindunt. *Murcos* vocare moris est, galicé *Poltrons*, de quibus in praesenti exponere animus est. Haud quidem me fugit, eadem de re iam anno huius seculi trigesimo quinto FRID. BENEDICT. CARPOVIVM Vitembergae dissertationem proposuisse.^{c)} Praeterquam autem quod ea vix amplius inuenitur, quilibet etiam, qui cum Carpzouianis nostra conserre haud grauatus fuerit, nos labore haud supervacuum suscepisse facile intelliget. Ut autem ordine quodam procedat disputatio, primo quidem loco, quid sibi velit *rā mucus* et unde sit duolum, inuestigabimus, secundo, iustene in eos, qui ita in proprium corpus saeuunt, animaduertatur, disquiremus, tertio denique de poenis huic facinori propositis dispiciemus.

Fundus verbi est locus AMM. MARCELLINI Hist. Lib. XV. cap. 12. ^{f)} vbi de Gallis sermonem instituens, *Ad militandum, inquit, omnis aetas aptissima, et pari pectoris labore senex ad procinctum ducitur et adactus, gelu duratis artibus, et labore assiduo multa contemturus et formidanda, nec eorum aliquando quisquam, ut in Italia, munus Martium pertineat, sensu pollicem sibi praefidit, quos localiter murcos appellant.*^{g)} Idem verbum MENAGIVS aliisque obtrudere conantur INNOCENTIO I.

B 3

Pon-

nullsi tradiderunt. CIC. de Off. III. 26. *Vtile videbatur Vlyssi, ut quidem poecae tragicae prodiderunt, nam apud Homernum, optimum auctorem, talis de Vlysse nulla suspicio est, sed insinuant cum tragocidae, singulariōne infamiae militum fuleris fugere voluisse. Non honestum constitum. At utile, (ut aliquis forsan dixerit,) regnare, et Ithace viuere oiose cum parentibus, cum uxore, cum filio.*

e) De pollicum amputatione eliusque coercitione nonnihil etiam (sed non nihil tantum) dixit GER. SICHTERMAN de poen. militar. Rom. Cap. 9. in OELRICHE Thes. Diff. Belg. Vol. II. Tom. I. p. 271. Nec operae pretium est, quod hac de re protulit C. F. SCHAMBERG in Diff. de iure digitorum Lips. 1715. propos. p. 59. Valde autem miror, C. L. CRELLIUM in Diff. de iure manuum (Fast. II. Diff. et Progr. Crallianor. p. 181. inserit) esti omnes eam in rem loculos excusfit, murcorum ne verbo quidem meminisse.

f) Pag. 82. edit. quae cur. IAC. GRONOVII L. B. 1693. prod.
g) Veteres inter Germanos etiam murcos fuisse, quidam colligunt ex verbis TACITI in Germ. cap. 12. Ignatos et imbellites et corpore infames coeno ac palude, iniecta insuper crate, nergunt. Sed rectius alii *rā* corpore infames non de mucus, sed partibus potius intelligenda censem. Vid. BOEHMERI Elem. Iur. Cr. p. 436.

Pontifici, quippe quem eo usum esse volunt in Epistola quadam ad FELICEM, Nucerianum Epistopum, in PETR. COVANTII Epist. Rom. Pontif. (Paris. 1721.) Tom. I. p. 912. reliqua. Verba INNOCENTII sunt: Scripsisti ergo, quod feruore fidei, quo polles, et amore sanctae plebis vel reparaueris ecclesias Dei, vel nouas quasque construxeris. Sed in his Clericos, quos constitutas, non habere: aliquos vero mutilos, aliquos digamos esse. Ad quod stupuimus, prudentem virum de his voluisse considerare, quae omnibus sunt certa ratione comperta. Ergo non quasi ignorantibus dicimus, sed in aliis forsan occupatos istud oblitos vos esse dicimus. Quem igitur partem cuiuslibet digitii sibi ipse volens abscedit, hunc ad Clerum Canones non admittunt: cui vero casu aliquo contigit, dum aut operi rustico curam impendit, aut aliquid faciens se non sponte percussit, hos Canones praecipiunt et Clericos fieri, et, si in Clero fuerint reperti, non abiici. In illis enim voluntas iudicata est, quae sibi ausa fuerit ferrum iniungere, quod scilicet et alii id facere dubitare non possit: in ipsis vero casus veniam meruit. Ita sane edidit COVANTIVS, nulla plane suspicionis mendi mentione iniecta. Nihilo secius tamen loco tamen mutilos quantocuyus murcos rescribendum censet MENAGIVS Amoen. I. C. cap. III. idque propterea, quod LVTIPRANDVS in vita INNOCENTII,^{b)} vbi eiusdem rei meminit, vocabulo murcus usus sit. Item, inquit LVTIPRANDVS, Felici, Nuceriano Episcopo, praenominatus Papa aliam scripsit decretalem Epistolam, in qua ei de indigentia Clericorum querimoniam facienti, cum aliquos murcos, aliquos digamos habere diceret, respondet, illum, qui volens partem digitii sui abscederit, iuxta Canones non posse admitti ad Clerum. Illum vero, cui aliquo casu contigit, et Clericum fieri posse, et inuentum abiici non posse afferuit: quia in illo voluntas est iudicata, in isto vero casus veniam meruit. Sed non sequitur, vt, cum LVTIPRANDVS rō murcus usus sit, idem vocabulum INNOCENTIVS etiam necessario adhiberetur. Fuit enim illud teste AMMIANO verbum locale, quo Pontificem in decretali ad Epistopum Nucerianum epistola usum esse mihi certe haud vero simile videatur, maxime cum idem nec Romanis in legibus, nec in iure Pontificio occurrat, sed eius loco, vt mox videbimus, rō mutilos aliudque simile adhiberi soleat.

Haud

b) Vid. LVTIPRANDI hist. summor. Pontific. in eiusd. Oper. Antwerpiae 1640. pag. 216.

Haud magis eorum mihi arridet opinio, qui τὸ μύρκος graecæ verbum originis esse opinantes suo mirum in modum indulgent ingenio, quo tandem graeca e lingua vocabulum aliquod eruant, quod huic nostro quadam tenus respondeat. Et profecto miseries est vide-re, quantopere omnes, qui ita sentiunt, se hac in re torqueant. VOSSIUS in *Etymolog.*¹⁾ p. 385. deducit a μυλακή s. μυλάκη, aeolice μύλης, i. e. mollis, ignarus. Addit tamen, nisi forte sit a Syracusio μύγης, quod mutum notat, ut scilicet proprie μύγης sit mutus, translate impotens, ignarus. MENAGIVS l. c. pag. 18. scribit: Malim tamen τὸ μύρκος ab inusitato μόλος, id est mollis, sic ἐτυμολογίειν: μόλος, μολοκός, μόλης, mulcus, murcus. Ab eadem origine est Murcia segnium Dea, ut eam vocat Arnobius, aut Dea martoris, ut eam Tertullianus appellat. Quid? quod idem deminutum τὸ μύρκος esse existimat τὸ μύρτιδος, quod apud PLAUTVM in *Epidic.* III. 1. 12. legitur his verbis: *Vae tibi murcide homo!* Sciens iam aliorum praeterito coniecturas, dicam an harioletanias, quippe quas omnes nec vnius affis aestimo, nec titiuitio emerim, plane perlausus, frustra esse, quotquot τὸ μύρκος, verbo, ut AMMIANVS testatur, locali, graecas origines vindicatum eunt.²⁾

Scilicet murcus nihil aliud est, ac mutulus, ut murcare significat reficare, praescindere. Ita Monachus Sangallensis de Gest. Caroli M. Lib. I. c. 34.³⁾ Quidam diaconus iuxta consuetudinem Cisalpinorum contra naturam pugnare solitus balneas intrans, et caput suum pressissime radi faciens, cutem expoliuit, vngues mureauit, nec aliter ISO MAGISTER in *Gloss.* in PRUDENT.⁴⁾ Murcus, qui praecisum habet nāsum.

i) I. G. VOSSIUS *Etymologicum Linguae Latinae* prod. Amstelod. 1695.

ii) Τὸ μύρκος quidem occurrit etiam ap. FESTVM, sed sensu' plane diverso: *Murciae deae facillum cræ sub monte Aueneino, qui antea murcus vocabatur, vbi vid. quea in notis monuit DACE RIVS* p. 253. Nec hoc pertinet Murci cognomen, quod fuit genti Stataiae, vnde STATIVS MVRCVS ap. CAESAREM de B. C. III. 15. itemque STATIVS MVRCVS speculator ap. TACITVM Hist. I. 43. Conf. HENR. CANNEGIERER de mutar. Rom. nom. sub Princip. rat. Cap. I.

3) De gestis Caroli M. libri duo, scripti a quodam Corinobio Sancti Galli Monacho, inserti sunt ANDR. DU CHESNE Scriptor. Histor. Francor. Tom. II. p. 107. Verba allegata leguntur p. 120.

4) Vid. ISONIS MAGISTRI *Glossas vesceres in PRUDENTIVM* in edit. WEITZLI pag. 793.

sum. Quid autem hoc verbum raro apud veteres occurrit, inde si-
ne dubio est, quod, qui corpus suum mutilauerant, non nisi localiter,
(i. e. lingua loci) murci appellabantur. Nihil igitur huc pertinet,
quod de murcidis, itemque de Deo Murcia profert MENAGIVS, id-
que haud magis, quam quod in *Glossa a CAR. LABBEAO collectis*ⁿ⁾
legitur: *Murci, mōðēs; Murcidus, muōtēs;* quod quam absconum,
hic sit, nemo non, nisi naris admodum sit obesa, facile intelliget.^{o)}
An autem verum sit, quod notat GESNER. in *Thes. ling. lat. sub verbo,*
murcus: *Est* hodie Germanorum quorundam verbum *Vermurksen*, i. e.,
mutilare, alii viderint. Quandoquidem autem apud AMM. MARCEL-
LINV M, ut docuit VALESIVS in not. p. 98, non localiter, sed localiter
legendum est, haud adstipulans IO. WUNDERLICHIO, in *Additamen-*
tis ad B. Brissonii Opus de V. S. p. 42, scribenti: *Murcus ita per io-*
cum dicitus est, qui, ut refugaret necessitatem subeundae militiae, manus
sibi debilitauit, aut pollicem sibi praecidit, quamquam tē localiter etiam
placuerit MENAGIVS l. c. p. 26. Sane localiter verbum est insolens,
ne dicam nihil, localiter contra apud eundem legitur AMMIANVM
Lib. XIX. cap. 12. *Hie Besee dei localiter appellati oraculum quondam*
futura pandebat, priscis circumiacentium regionum caerimoniis solitum
coli. Ceterum de origine verbi *Poltron*, quo Galli ac Itali murcos
timidosque insignire solent, hic dicere nihil attinet. Mira profecto
funt, quae eam in rem protulit MENAGIVS l. c. p. 14. seq. itemque
in *Origin. Ling. Franc.* p.) et forsan haud multo meliora conjecturis
Menagianis, quarum ope ex verna prodeunt *Laquais* et *Ragazzo*, et
latinorum *mus* parit gallicum *rat*, equus autem *Alfana*, et *truncus* ex
te producit *chicot*, qualia plura MENAGIVS saepius et interdum satis
acer-

ⁿ⁾ Conf. Cyrilli, *Philoxeni*, aliorumque veterum *Glossaria latino-græca et*
græco-latina, q. Carolo Labbeo collecta, praeterea veteres *glossae verbo-*
rum iuris, quae paſſim in Basileis reperiuntur, *Lyon. Parif. 1682.* p. 177.
Ceterum nullum hic vnum praestant *glossæ nomicæ*, quae leguntur in
OTT. *Thes. Tom. III. p. 167.*

^{o)} *Maricidum FESTVS b. v.* interpretatur *ignavum, stultum*, nec impro-
babilis est coniectura IO. SCALIGERI in not. ibid. p. 254. videri illud
ioculariter exprobratum ignavio, vt qui, cum hostem non posset, mires
caderet, quasi *muōtēs*, quamquam alii ibidem legere malunt *muri-*
cidum.

p.) Fructu quoque est SAM. PITISCVS in *Lex. Antiquitat. Rom.* Tom. II.
p. 237. originem vocis *poltron* cum aliis a pollicum truncatione repetens.

acerbe exprobrata esse monuit i. GVL. HOFFMANN. in *Praef. ad MESSAGII Amoen. I. C.* p. 15. Sed haec leuicula. Ad grauiora iam transeamus.

Quodsi igitur, iustene in murcos animaduertatur, quaeritur, iūvabit, ni fallor, antequam ad hanc quaestione respondeamus, duabus de aliis, scilicet a) an iure naturali cuilibet de membris suis statuere liceat, b) an omnes reipubl. cives ad defendendam, si opus sit, etiam armis patriam obstricti sint, despicer. Ad priorem quod attinet, CHR. WOLFIUS quidem in *I. N.* §. 357. et 374. scribit: *Hominis non competit dominium in vitam suam. — Nemini hominum competit dominium in corpus suum, vel ullum eius organon seu membrum.* Sed iam VATTELIUS in *Obs. ad h. l. 9.* ostendit, haud omnino recte illam WOLFIU doctrinam se habere, multaque, si rem iusta lance ponderes, contradici posse. Mishi quidem hic etiam magnopere interesse videatur, ante omnia fines iuris naturalis recte regere. Qui enim illud hac regula: *cole pacem externam metiuntur, in eoque non nisi de officiis, quae quis aliis debet, perfectis exponunt, ii non possunt non ex praescripto regulae, et nisi singulares obsint rationes, cuilibet liberam de membris suis pro libitu statuendi potestatem concedere.* Quemadmodum autem, vt iam alio loco monuimus, ius naturale ita descriptum nobis ad pacem tantum prodest externam, ceterum hac via nec ad coelum, nec ad internam itur tranquillitatem, ita magnopere falleretur, qui praecepro perfice te minus, quam illi *ius suum cuique tribue obtemperandum esse existimaret.* Vid. TREVERVS ad *Pufendorf.* p. 143. et 379. Iam quid magis studio sese perficiendi obstat, quam voluntaria corporis debilitatio, praeципue manus, ad tot

g) Vid. *Questions de droit naturel & observations sur le traité du droit de la nature de M. le Baron de WOLF, par M. de VATTTEL, à Berne 1762 p. 12. seq.* vbi haec quaestio tandem ita finitur: *Ne seroit-il pas mieux de procéder autrement dans cette matière, & de dire, que l'homme doit user de sa vie, de son corps, de ses facultés, de ses organes, & en général de tous ses biens d'une manière conforme à ses obligations; qu'il n'a pas droit d'en faire un usage contraire; qu'il est obligé à les conserver autant que ses devoirs le lui permettent, & qu'il est en son pouvoir: que la vie, en particulier, étant le fondement, la base de tout le reste, toute ses relations, tous ses devoirs sur la terre finissent avec elle, il ne lui est pas permis de la quitter de lui-même, & qu'il doit attendre que le Créateur, son souverain maître, la lui redemande & l'appelle ailleurs.*

tot vitae munera recte obeunda tam necessariae, abscessio? Manus, inquam, de qua eleganter circ. de nat. deor. Lib. II. no. 150. Quam vero aptas, quamque multarum artium ministras manus natura homini dedit! digitorum enim contratio facilis, facilisque porrechio, propter molles commissuras, et artus, nullo in motu laborat. Itaque ad pingendum, ad fingendum, ad sculpendum, ad neruorum elicendos sonos ac tibiарum, apta manus est admotione digitorum. Atque haec oblectacionis: illa necessitatis: cultus dico agrorum, exstrunctionesque teliorum, tegumenta corporum vel texta vel suia, omnemque fabricam aeris et ferri: ex quo intelligitur, adiuventa animo, percepta sensibus, adhibitis opificum manibus omnia nos consecutos, ut tebii, ut vestiti, ut salvi esse possumus, urbes, muros, domicilia, delubra habeamus. Neque me moueret, si quis mihi maximum, quod ipsa militia secum fert, periculum obuerteret, seque, manum sibi abscondendo, sic duobus ex malis id, quod minimum sit, elegisse diceret. Quasi scilicet verum haud esset, quod iam HORATIVS cecinit Carm. III. 2.

Dulce et decorum est pro patria mori.

Mors et fugacem persequitur virum,

Nec parcit imbellis iuuentae

Poplitibus timidoque tergo,

dixitque SENECA Controu. XVI. Multas rerum natura mortis vias aperuit, et multis itineribus fata decurrunt: et haec est conditio miserrima humani generis, quod nascimur uno modo, multis morimur: laqueus, gladius, praeceps locus, venenum, naufragium, mille aliae mortes infidantur huic miserrimae animae, nec non alter SENECA Ep. 49. Erras, si in navigatione tantum existimus minimum esse, quo a te morte vita dividetur. In omni loco aequa tenue intercallum est. Non ubique se mors tam prope ostendit: ubique tam prope est. Multo sane maior hominum pars propria sua intemperie, quam armis cadit. Plures profecto aut cocus, aut medicus, aut vxor intemperans, (quidni etiam rixosa?) quam hostis occidit. Plures denique studiorum intemperantia, quam inimicorum tela, ad acheronta mittit, adeo vt haud iniuria quandam PAVLINVS A S. JOSEPHO^r) dixerit, non minus ex domestica illa et vmbratili studiorum exercitatione et pugna, quam ex medio hostium agmine, periclitandum esse.

Cum

r) PAVLINVS A S. JOSEPHO in Orat. a KAPPIO Lips. 1728. edit. p. 42.

Cum ergo tot tamque variae mortis viæ sint, cur quaeſo ſoliuſ militiae detrectandæ cauſa corpus muſilare, eoque ipſo publicæ uitilitati ſeſe ſubtrahere licet? Fac eriam, te aut in acie casurum, aut alia ratione in bello occubiturum eſſe, dubitasne ſubſcribere **TULLIO** pro Sext. no. 47. *Cum omnibus definita ſit mors, optandum, ut vita, quae neceſſitatē debetur, patriæ potius donata, quam referuata naturae videatur?*

Quae qui accurata mentis trutina examinat, nae is alteram, ſu-
pra quam proponuimus, quaefionem adſirmare haud dubitabit.
Quodſi enim verum eſt, quod **cic.** de *Off.* I. 17. ſcribit: *Si con-
tentio quaedam et comparațio fiat, quibus plurimum tribuendum officii, prin-
cipes ſunt, patria, et parentes; quorum beneficiis maximis obligati fu-
mus; piaculi ſane reus eſter, qui ad militandum aptus abſque iuſta
cauſa militiae ſe ſubtraheret, ſicque patriam, communem illum pa-
rentem, ingratus defereret.*^{s)} Belle **GERMANICVS** apud **TACITVM**
Ann. I. 42. *Non mihi uxor aut filius patre et republ. cariores ſunt,*
itemque **VELLEIVS PATERCVLVS** I. 2. Codrum cum morte aeterna
gloria, *Athenienſes ſecuta viſtoria eſt.* *Quis eum non miretur, qui iis*
artibus mortem quaefierit, quibus ab ignauis vita quaeri ſoleat?^{t)} Cete-
rum per ſe intelligitur, haud iniuria militiam detrectare, qui aut fe-
nicio, aut corporis imbecillitate, aut alia cauſa ſontica militare impe-
diuntur, quo faciunt *I. 13. §. 3. D. de re mil. et I. 6. C. eod. Conf.*
IO. FRANC. BVDEI *Difl. de offiſe, imperant. circ. conſribend. mil. in*
 eiusd. Selekt. iur. nat. Halae 1717.

B 2

Ex

^{s)} Bene **CELESTIN. MIRBELLVS** in *Comment. in Arr. Menandri frag-
menta de re mil.* qui cura I. G. HARNISCH. *Lipſ. 1752.* denuo prod.
p. 46. In *praeiudicium recipubl. nihil licet committere in corpus juvum.* *Ex*
*non ſolum proditor eſt, qui miles transſigit, ſed et qui rempabl. defenſio-
ne ſua deſtituit.* *Huc pertinet, quod M. Tullius Paradox. Lib. 4. elegan-
cer ait: Ciuem ab hoſte nou natura, aut loco, ſed animo factisque diſtin-
guimus.*

^{t)} Timiditatem, eſti diuntaxat culpa speciem, interdum (in cauſis publi-
cis et arduis) ultimo supplicio puniri poſſe, oſtendit **LEYSER Spec. 154.**
med. 10. et Spec. 371. med. 26. Bene Galli diſtinguant inter *vaillance, pol-*
tronnerie et temerité. Vid. *Chevracana Tom. I. p. 230.* nec male quon-
dam milites meticuloſos lepores *galeatos CARNIFICIVS* poeta appella-
bat.

Ex his iam abunde, ni fallor, patet, haud iniuste eorum coerceri malitiam, qui, vt inhabiles ad militandum fiant, digitos manum-
ve sibi praescindunt, aut alio modo in corpus suum saeuient. Bene
VEGETIVS de *de re militar.* Lib. I. cap. 6.^{u)} Sit ergo adolescens Martio operi deputandus vigilantibus oculis, erecta cervite, lato pectori, hu-
meris musculoſis, valentibus brachiis, digitis longioribus. Merito a mi-
litia, quae robur desiderat, omnes arcentur imbellies, adeo vt apud
Romanos ne *eunuchi* quidem militare possent, ceu ostendit MENAGI-
VS *Amoen.* I. C. cap. 40. Quid? quod dubitatum olim fuit, an ad
Martis opus idonei sunt, qui vno tantum gauderent testiculo, vt vi-
dere est ex l. 4. D. *de re mil.* Qui cum vno testiculo natus est, quiae
amisit, iure militabit secundum D. *Traiani rescriptum.* Nam et Duces
Sylla et Cotta memorantur eo habitu *fuisse naturae.*^{x)} Quid igitur
mirum, si operam dederunt Romani, ne homines integri corporis vim
sibi inferrent, seque ipsos ad arma tractanda ineptos redderent? Ge-
neratim seuere animaduertebatur in eos, qui ad delectum haud re-
sponderant. *Grauius delictum est,* inquit ARR. MENANDER in l. 4.
§. 10. D. eod. detracere munus militiar, quam adiptere: nam et qui ad
delectum olim non respondebant, ut proditores libertatis in seruitutem re-
digebantur: sed mutato statu militiae recessum a capitib poena est, quia
plerumque voluntario milite numeri supplentur.^{y)} Vberius de veterum
in delectu militum habendo severitate exposuerunt IUST. LIPSIVS de
milit. Rom. Lib. I. dial. 4. et s. G. BLANCARD in OELRICH *Theſ. nou.*
diff. iurid. Tom. II. Vol. II. p. 294.

Erunt

^{u)} FL. VEGETIVI aliorumque aliqu. veter. *de re milit.* Libri cum Comm. et
not. STEWECH. et MODII prod. Anwerp. 1607. vbi locus ille legitur
pag. 17.

^{x)} Vno tantum testiculo instructus in iure pro fano habetur. l. 6. D. *de
aedit. edict.* Spadonem morbasum non esse, neque viriosum, verius mibi vi-
deretur, sed fatus esse, sicuri illum, qui vnum testiculum babet, qui etiam
generare posset.

^{y)} Sunt quidem, qui hoc etiam referant l. 20. D. comm. diuid. vbi POM-
PONIVS: Si is, cum quo fundum communem babes, ad delictum non re-
spondit, et ob id motu iudicis villa diruta est, aut arbusla succisa sunt,
praefabatur tibi derimentum iudicio communi ditidundo; delicti loco de-
lectum legendum consentes. Vid. CVIAC. Obs. XIII. 29. et DVARE-
NI Disp. I. 4. Sed hac correptione haud opus esse, adeoque all. l. 20.
ad delectum militum nequaquam pertinere, ni animi fallimur, Adver-
fur. Lib. I. cap. 4. ostendimus.

Eruunt autem fortasse, qui hic nobis obuertant verba VLP. in l. 9.
 §. 7. *D. de pecul.* Si ipsa seruus sese vulnerauit, non debet hoc damnum deducere; non magis, quam si se occiderit, vel praecipitauerit: licet enim etiam seruis naturaliter in suum corpus saeuire. Quodsi enim seruus ad eo in corpus suum saeuire fas est, quidni idem licet liberis, quibus ex praescripto regulae, iussit quocunque voluntas, facere permisum est? Evidem, si VLPIANVM secum ipso committere placeret, eiusdem vterer testimonio in l. 13. pr. *D. ad L. Aquil.* Liber homo suo nomine utilem Aquiliae habet actionem: directam enim non habet, quoniam dominus membrorum suorum nemo videtur. Sed haud faciam, ne difficultatem, quam minuere decet, magis augeam. Dicam potius, nec VLPIANVM a se ipso dissentire, ²⁾ nec allegatas leges vlla ex parte pertinere. Quod enim ad d. l. 9. §. 7. *D. de pecul.* attinet, recte eam c. l. CRELIVS in *Ohs.* ad l. 3. *D. de bon. eor. opinioni* quorundam de autochiria, quam singunt, innocentie oppositis, (in *Diff. et Progr. Crellianor. Fast. III. p. 419.*) interpretatur, Quaerebatur, inquiens, an dominus, qui de peculio serui conueniebat, deducere posset de peculio pretium serui, qui se ipsum occidisset, aut praecepsisset. Negat Vlpianus, quia seruo naturaliter, hoc est, si liber esset, uti omnibus hominibus liberis, impune liceret, iure ciuili duntaxat, in sua viscera saeuire. Legem autem 13. pr. *D. ad L. Aquil.* optime explicuit VLR. HUBER *Praelect. IX. 2. 14.* his verbis: Mens Vlpiani in hoc loco esse videtur, directam legis Aquiliae actionem non dari cuiquam de damno suis membris illato; quia directa actio datur domino, cuius appellatio rem alias, quae sit in domino, supponit. Quemadmodum autem nemo potest esse seruus sui ipsius, ita nec dominum esse quemquam sui ipsius, hoc est membrorum suorum, ratio permittit. Liberum sui ipsius, adeoque mortis arbitrium non negat Vlpianus; vt de conciliatione eiusdem cum se ipso nulla difficultas esse queat, eaque HUBERI explicatio haud parum confirmatur interpretatione graecorum, Basile. Tom.

B 3

VII.

2) Quod vel docet, quae eiusdem VLP. est, l. 23. §. 3. *D. de aedil. edict.* *Malus seruus creditus est, qui aliquid facit, quo magis se rebus humanis extrahat, ut puta laqueum torst, sine medicamentum pro veneno libit, praecepsimum se ex alto miserrit, aliudque quid fecerit, quo factio sperauit mortem peruenturam: ramquam nonnihil in alium anfurus, qui hoc aduersus se anfus est, ad quam legem quaedam notauiimus Probabil. Lib. II. cap. 8.*

VII. p. 47. vbi locus ille VLPIANI ita vertitur: 'Ο ἐλεύθερος περὶ τῆς εἰς αὐτὸν βλάβης ἐτέλιον ἔχει· δεσπότης γὰρ οὐκ ἔστι τῶν ίδιων μελῶν. ὀνόματι τῷ Φυγάδος σίκετε ἔχει ὁ δεσπότης τὸν Ακελίδιον. Liber homo de domino sibi dato utilem Aquilam habet: dominus namque suorum membrorum non est. Fugitiū serui nomine dominus Aquilam habet. Manet igitur, VLPIANVM non modo nobis nulla ex parte aduersari, sed secum etiam ipso, quam qui maxime, conspirare.

Supereft iam, quod cum apud veteres tum recentiores de poenis murcorum reperimus, cum lectoribus nostris communicemus. Qua quidem in re ita versabimur, vt temporis rationem habentes iuris, quantum eius fieri poterit, vicisitudines obseruemus.

Ac primum quidem, quomodo ap. Rom. libera republ. a Senatu eiusmodi facinus punitum fuerit, VAL. MAXIMVS VI. 3. memoriae prodidit: Ne in C. quidem Vettieno, qui sinistram manus digitos, ne bello Italico militaret, sibi absiderat, seueritas Senatus effauit. Publicatis enim bonis eius ipsum aeternis vinculis^{aa)} puniendum censuit, effecitque, vt quem honeste spiritum profundere in acie noluerat, turpiter in catenis consumeret.

Haud aequa seuerus fuit AVGVSTVS teste SVETONIO in vit. eius cap. 24. Equitem R. quod duobus filiis adolescentibus, cauffia detrectandi sacramenti, pollices amputasset, ipsum bonaqua subiecit hastae: quem tamen, quod immixtæ emtioni publicanos videbat, liberto suo addixit, vt relegatum in agros pro libero esse fineret.

Idem in delictu deportationem statuit TRAIANVS, vt refere ARR. MENANDER in l. 4. §. II. seq. D. de re mil. Qui filium, inquisens, suum subtrahit militiae belli tempore, exilio et bonorum parte multandus est, si in pace, fusilibus caedi iubetur; et requiustus iuuenis vel a patre postea exhibitus, in deteriorem militiam dandus est: qui enim se sollicitauit ab alio, veniam non meretur. Eum, qui filium debilitauit, delectu per bellum indicto, vt inhabilis militiae sit, praeceptum Diu Traiani deportauit.^{bb)}

Nec

aa) Cur quoquo aeternis vinculis? Quia scilicet liber esse non iudicabatur, qui, vt liber esset, adire periculum noluisset. cīc. pro Caccin. cap. 34.

bb) Refte p̄aceptum hic pro decreto, verbum deportauit autem pro deportari iusit potius esse, monuit I. A. BACH in Traiano p. 196. seq. Atque ita sub TRAIANO etiam delectus militum habitus est, quod sub

Imp.

Nec HADRIANVM Imp. murcos impunitos dimisisse, colligere licet ex verbis SPARTIANI in *vit. Hadrian. cap. 12.* Delectum ioculariter, ut verba ipsa ponit Marius Maximus, detrectantibus, Italicis vehementissime, ceteris prudenter et caute consuluit. Haud enim dubitamus subscribere IAC. GOTHOFREDO in *Commentar. in C. Th. Tom. II. p. 377.* Ita hunc SPARTIANI locum exponenti, ut τὸ ioculariter idem, quod more ridiculo amputatis digitis, verba autem vehementissime consilere nihil aliud, ac seuerissime cauere significant; Italicorum denique appellatione non ex Italia orti, sed *Italicae* in Hispania municipes intelligantur. Quare autem HADRIANVS praeципue in Italicos delectum ioculariter detrectantes grauiter animaduerterit, si recte coniecit GOTHFREDVS, haec causa est, quia HADRIANVS ipse Italicus fuit, id est, Italica ortus, ideoque tamquam indignis συμπατεράταις vehementissime consuluit. Ita sane hic malumus, quam hallucinari cum CASAVBONO, SALMASIO, OBRECHTO, aliisque SPARTIANI interpretibus, meras, fere nugas hic proferentibus.

Curiis porro murcos addixit CONSTANTINVS M. ceu docet *I. x.* C. Th. de fil. milit. Veteranorum liberos aptos militiae, quorum quidam, ut desides, recusant militarium munerum functionem, quidam adeo ignavii sunt, ut cum dispensio corporis militiae velint necessitatem evadere, iubemus, si ad militiam inutiles resectis digitis iudicentur, Curialibus sine aliqua ambiguitate muneribus atque obsequiis aggregari; quod nemo mirabitur, nisi cui misera curialium conditio plane incognita sit, qui que adeo ad *10. WUNDERLICHII Libr. Sing. de legitimat. per oblat. cur. Jenae 1759.* typis excusum, ablegandus esset.

VALENTINIANI Imp. duo de murcis constitutiones supersunt in *I. 4. et 5. C. Th. de tiron.* In priore repetitur lex CONSTANTINI his verbis: *Eos, qui amputatione digitorum castra fugiunt, secundum Diui Constantini decretum tua sinceritas non sinat manus deformatione defendi, siquidem possint in quacunque reipublicae parte prodefese, qui se sponte truncauerunt; in posteriore contra poenam adeo ignis, s. viuicomburium, murcis interminatur Imp. Si quis, inquiens, ad fugienda sacramenta militiae fuerit inuentus truncatione digitorum damnum corporis*

- Imp. mutato militiae statu constitutisque legionibus perpetuis, raro datum esse constat. Vid, DODWELL. Praelect. Camden. p. 260.

poris expedisse, et ipse flammis ultricibus concremetur,^{cc)} et dominus eius, qui non prohibet, graui condemnatione feriatur.

Sapientissima denique viderur constitutio THEONOSII M. in l. 10.
C. Th. eod. reliqua, quippe qua murcis omnis spes orii, cuius dulcedine ad murilandum corpus plerumque illiciuntur, praeciditur. Verba Imp. sunt: Qui spurca amputatione digitum declinat usum armorum, non evadat illa, quae vitat, sed insignitus macula ferat impositum militiae labore, qui declinaverit dignitatem. Ipsis quin etiam prouincialibus, qui ex horum auctis iuniorum saepe patiuntur penuriam praebendorum, haec optio immobilis decernatur, ut tempore delectus agitandi, ubi commune coeperint conueniri, duos mutilos iuniores pro uno integrō Eminentiae tuae dispositionibus offerant.

Sed nec silentio hic praeterereundus est locus CVRII FORTVNATIANI, qui seculo post C. N. sexto vixisse videtur. Ita enim ille Art. Rhetor. Lib. I. p. 40. ^{dd)} Decem milites belli tempore pollices sibi amputauerunt, rei sunt laesae reipublicae.

Agmen tandem veterum scriptorum hic claudat locus e legibus militaribus, aevo, ut videtur, IVSTINIANI II. a RVFFO collectis. Ita felicet ibi §. 57. ex versione LEVNCLAVII legitur: Si quis filium suum belli tempore subtraxerit militiae, et relegatur, et parte patrimonii sui publicata multatur. Si quis autem filium suum belli tempore debilitarit, ut inhabilis ad militiam inueniatur, in exilium mittitur, quo loco RVFFVM l. 4. §. 22. seq. D. de re mil. exscriptissime facile adgnoscas. ^{ee)}

Ce-

cc) Quam poenam tamen in seruis duntaxat locum habuisse, recte monuit PUFENDORF. in L. N. et G. Lib. VIII. cap. 2. §. 3.

dd) CVRII FORTVNATIANI. Considri, Artis Rhetor. Scholicae Libri III. sunt inter antiquos Rhetores latinos, qui ex bibliotheca FRANCISCI PITHOEI Parisiis 1599. prod. Eosdem Rhetores anno 1756. Argentorati cum notis CLAVDII CAPPERRONERII, editionem curante P. C. RANGIO, repetitos esse, docuit me DAV. RVHNKENIVS in Praef. ad Rurilium Lupum de figur. sentent. et elocut. L. B. 1788. p. 24.

ee) RVFFI Leges militares sunt in 10. LEVNCLAVII Iur. Graec. Rom. quod Francof. 1596. duob. Tom. in f. prod. Tom. II. p. 249. Loci hue pertinentes sunt p. 254. §. 50. et 51. Eaadem leges ex interpretatione LEVNCLAVII adiectione sunt editioni VEGETII supra laudatae p. 113. seq. ubi all. locus inueniatur p. 111. De RVFFI aetate vid. BACHII hist. iur. p. 637.

Ceterum F. B. CÄRPZLOVIUS quidem in Diff. supra laud. p. 16. Huc etiam referit l. 38. §. 12. D. de poen. vbi ita CALLISTRATVS: Miles, qui sibi manus intulit, nec factum peregit, nisi impatientia doloris, aut morbi, iususue aliquius, vel alia causa fecerit, capite puniendus, alias cum ignominia mittendus est, itemque l. 6. §. 7. D. de re mil. vbi ARR. MENANDER, Qui se, inquit, vulnerauit, vel alias mortem sibi consciuit, Imp. Hadrianus rescripsit, ut modus eius rei statutus sit; ut si impatientia doloris, aut taedio vitae, aut morbo, aut furore, aut pudore mori maluit, non animaduertatur in eum, sed ignominia mittatur: si nihil tale praetendat, capite puniatur; sed, nisi me omnia fallunt, perperam, propterea quod vterque locus non ad murcos, sed ad eos potius, qui vitam ipsam manu sua finire voluerunt, pertinere videtur.

Ne quis autem sibi perfudeat, recentioribus temporibus aut murcos plane deesse, aut illos facinus suum impune auferre, ecce, quid paucis abhinc annis apud nos lege publica d. 7. April. 1768. proposita sanctum sit. Exstat illa in Suppl. Cod. Aug. Töm. I. p. 1244 unter den Erläuterungspunkten, wornach sich bey der Nachlieferung der rückständigen Landrecruten zu achten, adiect. dem Generali die Nachlieferung derer zurückgebliebenen Landrecruten betreffend §. 12. Junge Purche, so sich, um der Recrutirung zu entgehen, aus Bosheit an einem Theil ihres Leibes selbst verflümmelt haben, sollen von ihren Obrigkeiten in Verhaft genommen, und zu Stechen-Knechten an die Regimenter abgeliefert, iedoch denselben auf das zu gestellende Recruten-Contingent nicht mit angerechnet werden, quae sanctio cum lege Theodosiana, cuius sapientiam supra laudauimus, quodammodo conuenire videtur. Evidem in Murcos vulgo poenam carceris sex hebdomad. statui haud ignoro, et me ipsum ante aliquor annos ter vno in mense ex sententia Fat. Jur. Lipp. ita iudicasse recordor. Idem vero, postquam vidi legem modo memoratam, et quam parum carceris poena eos, qui ignavum optant otium, a facinore, de quo quaerimus, absterreat, mecum perpendere coepi, aliter fere nunc sentio.

Tandem etiam illud ipsum, quod anno proxime superiore in Germania exarst, bellum occasionem dedit Legi Imperatoria, sub finem eiusdem anni Viennae Austriae promulgatae, qua iis, qui militiae detrectandae causa corpus mutilauerint, seuerissimae poenae praestituta, delatoribus autem eiusmodi facinorum praemia haud exi-

C

gua

XVIII

gua proposita fuere.^{ff)} Ipsa legis verba, quippe quae angusta haec charta haud capit, alio fortasse tempore cum lectoribus nostris communicabimus.

ff) In Ephemeridibus Lipsiensibus scid. 231. an. 1778. Vienna nunciabatur: Wieder diejenigen, welche sich aus Bosheit und Vorsatz die Glieder verstümmeln, um sich dem Kriegsdienste zu entziehen, ist neulich eine sehr scharfe Verordnung ergangen. Diejenigen, welche ihr dennoch entgegen handeln, sollen mit Festungs- oder Zuchthausstrafe, und im Fall auch noch schärfer bestraft, dem Entdecker und Angeber einer solchen Frevelhat aber eine gute Summe Geldes ertheilet werden.



Leipzig, Diss., 1779 K-2

X 237 1913

ULB Halle
005 433 703

3



B.I.G.



DE
M V R C I S

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

AVCTORITATE

P R A E S I D E

IOSIA LVDOVICO ERNESTO
PÜTTMANN

I. V. D. TIT. DE V. S. ET R. I. PROFESSOR. ORDINAR
NEC NON COLLEG. ICTOR. ASSESSORE

A. D. XXVIII. APRILIS MDCCCLXXIX

H. L. Q. C

D I S P V T A B I T

IOANNES AVGUSTVS MÜLLERVS

MEYENA - MERSEBURGENS

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA